

110

DE
VIRTUTE GENTILICIA
VIRO
ILLVSTRI
PERMAGNIFICO MAXIMEQVE STRENVO
ET AMPLISSIMO DOMINO
DOMINO
SIGISMVND O MICHAELI
SIEFFERTO

PRAECONSVLI PRAESIDIS VICES

HACTENV S GERENTI

AC
DOMVS SPIRITVS SANCTI HOSPITALIS
PRAEFECTO FIDELISSIMO

AVGVSTALEM
BVRGGRAVII REGII
DIGNITATEM

D. XXX. MARTII MDCCLXVII
PVBLICOS INTER APPLAVSVS
COLLATAM

GYMNASII ELBINGENSIS
NOMINE

DEMISSISSIMA MENTE
GRATVLANS
NONNVLLA COMMENTATVR
IOANNES LANGIVS

ATHEN. RECT. PR. TH. ORD. ET BIBL.

ELBINGAE
STANNO NOHRMANNIANO.

dr
VIRTVTE GENTILICIA
VIR
HIVSTRI
TERMINIFICIO MAXIMEQUE STRINO
ET AMPLISSIMO DOMINO
DOMINO
SIGISMUNDO MICHAELI
SIEFFERT

FRACONIS PRASIDIS VIGES
HACTENUS GENTIS
DOMUS SPIRITVS SANCTI HONORABILIS
FRACONIS PRASIDIS
AVGVSTALIS
BVRGGRALL REGII
DIGNITATEM
D. XXX MARTII HONORABILIS
FRACONIS INTER APPELLAVIS
COLLEGIUM

GYMNASII BERLINGENSIS
NOMINE
DEMISISSIMA MENTE
GENTILIS
HONORABILIS GYMNASII
IOANNES LANGE
ALIBI RECT. PR. ET ORD. ET HIC

ELBINGAE
STANNO HONORABILIS



Si qua famae & dignitatis acquirendae via est, quam sentio, in rebus humanis multiplicem dari, aut si quid salutis & felicitatis conservandae praesidium praebet ac incitamentum: praebet utique nobilis illa & non fucata virtus, quae ex natalium integritate & litterarum iustitiaeque amore orta, novis in dies augetur incrementis. Ea quippe hujus est natura, ut viribus bonae ac egregiae indolis ornata, tam optima ad imitandum exempla, quam praesentissima ad perficiendum exhibeat calcaria. Cum enim experientia affirmante ab iis, quibuscum vivendum est, opinione citius actionum & verborum sumatur ratio: virtuti praesertim, probitatis ac continentiae commendatrici, illud encomii, illud gratulationis debetur, quod hominem, recti bonique dulcedine captum & immortalitatis desiderio flagrantem ad summum felicitatis ac honorum evehat fastigium. Haec etenim a vitiorum periculosissimorum tramite mortalium animos avocat; haec aequitatis ac honestatis studio illos accendit; haec, ut probis simillimi ac omni laude omnique prosperitate digni evadamus, efficit. Cujus rei omnium temporum, omniumque historiarum ad manus sunt exempla. Non dicam, Scipionem Africanum Cyri
* * &

& Julium Caesarem Alexandri M. gloria ductos, illos & virtute & fortitudine imitatos fuisse: sed, ut Philosophorum cancellis saltem immorer, meminisse juvat, Platoni, e septem Grajorum sapientibus haud ultimo, Socratis doctrinam ac vivendi rationem ita placuisse, ut eum imitatus, ab Aristotele quondam junior appellatus sit Socrates. Quodsi vero tanta virtuti generatim spectatae inest vis, tantus splendor, facile conjecturatu est, quanta illi, quae a sanguine genteque conjunctis & bonae mentis ac liberalis doctrinae commendatione provenit, jure competat efficacia. Majori quippe impetu solis, propius accedentis quam procul a vertice capitis remoti, radii mortalium oculos afficiunt mentesque recreant; & quo melior quis ac sanguine conjunctior inter amicos existit & familiares: eo gratior accenditur imitationis ac virtutis exercendae ardor. Qua in re virtutis gentiliciae indolem ac naturam consistere credo, honestatis studium a propinquorum commodis ad propria, ad aemulationem ab admiratione transferentis.

Est vero gentilicium omne illud, quod a gente, id est, a natione peraeque ac stirpe quadam & prosapia provenit. Omnibus hinc prophano cultui deditis sua dum constabat venerationis divinae ratio, sua quoque colebant sacra, gentilicia dicta, cuivis populo propria & peculiaria. Imo dum religionis paganae doctrina exigebat, ut superstitionis idololatricae cultores diis suis thure, vino, aliisque rebus supplicarent, sacrificia quoque habebant gentilicia, statuto loco ac tempore ab universo populo factitanda. Quae vero a nonnullis etiam Romanorum familiis, seorsim instituta fuisse, constat inter omnes. Sacra enim feriaeque solemnes gentis Fabiae, Juliae, aliarumque, quibus caput domus



domus nullo non tempore interesse tenebatur, illud extra omnem dubitationis aleam ponunt. Inde venit, ut sacerdotii quoque gentilicii, quod idem ac nostra aetate jus patronatus fuisse videtur, in Romanorum antiquitatibus saepe injiciatur mentio.

Sed latet quoque gentilicium quid in ecclesiastica juxta ac politica apud Judaeos regiminis forma. Non enim nisi ex gente seu tribu Judae DEO sic volente Israelitarum petebantur Reges, & sola gens Levi cum Sacerdotes tum Levitas, Sacerdotum vices gerentes, olim suppeditabat. Hinc gentilicium fuit, in eligendo Rege relictis caeteris tribubus gentis tantummodo Judae; in offerendo autem sacerdotio gentis seu tribus illius, quae a Levi nomen ortumque traxit, habere rationem.

Plura vero inveniuntur adhuc, quae hac denominatione inclarescentia, in Romanorum annalibus occurrunt. Dantur enim funera, hereditates ac nomina gentilicia, quorum haec gentis auctorem ac originem referebant; ab illis excludebantur omnes, qui non ejusdem erant gentis; ista vero ex consuetudine cujusvis gentis patrio ducebantur more. Adderem quoque, familiis nonnullis peculiares quasdam & in victu & amictu saepe arrisisse consuetudines; sicuti in illa Seranorum gentilicium fuit, ut feminae a linea prorsus abstinerent veste: nisi natura, ferax rerum humanarum gubernatrix, ad potiora mentem duceret, in ipsa hominum conditione obvia. Quem quaeso fugit, quibusdam gentibus coelitus datum esse, ut certas artes ac disciplinas sibi vindicarent proprias, quas earum posterī hereditario quasi jure possidere videbantur. Provoco ad exemplum

Pas-



Passieni Pauli, equitis romani, eruditi & splendide olim viventis, quem elegos scripsisse optimos, dicit Plinius. Sed idem insimul auctor refert, hoc ipsi, Propertii sanguine progenito, non proprium quid, sed gentilicium fuisse, & a maioribus ei quasi concessum.

Eandem virtutis etiam, quam gentiliciam vocamus, conditionem esse, in dubium sane vocabit nemo. Illi enim, qui in natura humana indaganda solliciti sunt eruditi, pro comperto habent, fortes creari a fortibus, & virtutis radicem in sanguine majorum ac natalibus, ipsaque educatione quaerendam esse. Hoc ornatu, hoc interno quasi stimulo excitatus patrum imagines animo mentique suae sedulo praefert virtutis ingeneratae vèstigia secuturus. Cui si accedit non laudanda satis in genitores pietas, gratus omnino acceptiusque est nihil, quam amplissimas eorum virtutes mirari, & egregio, quo decet, imitari cursu. Hac ratione avitis innutritus laudibus gloriam, domi partam & a maioribus, meritorum ac dignitatum fama conspicuis acceptam, omni contentione & virtutis concordia servatam posteris tradere summo allaborat studio, quo illa nullo maiorum confinio laesa fulgeat semper splendeatque.

Quodsi ergo quando nunc maxime virtutis gentiliciae rationem habere praestat, dum **TE, VIR ILLUSTRIS & PERMAGNIFICE, BVRGGRAVIUM REGIVM** laetabundis venerabundisque mentibus primum salutare ac omni pietatis cultu venerari, Musis licet Drusiatis. Ante ducentos enim & quod excurrit annos Generosa ac Splendida **SIEFFERTORVM** Gens Thorunio, ubi primum floruit, Elbingam delata, Viros
egregio



egregio litterarum amore, insigni meritorum in publicam rem splendore & praestanti munerum dignitate exornatos per omnes fere generationes aluit, fovit, sustentavit. Hi gentiliis virtutibus concitati avitam Familiae gloriam tanto celsius provexerunt, quanto magis generosus eorum animus inveterata Majorum fama excitatus fuit. Vidit hinc Elbinga, ut illius saltem memor sim, ex SIEFFERTO-
RVM sanguine prognatos non artis saltem Machaoniae Cultores Excellentissimos, sed Viros etiam dignitate Consulari, imo Praeconsulari fulgentes, quos salutis publicae promotores, Urbisque patriae conservatores cives coluerunt, & Reges suo dignati sunt amore. Id quod Poetarum ille Prussicorum facile princeps, Zamelius noster, jam sua aetate penitus perspexit, in laude Drusidos ita canens:

SPRENGELIOS Proceres, SIEFFERTINAMQUE propagem

Pro meritis Regum nobilitavit amor.

Magnum hinc Nominis TVI decus est, DOMINE
INDVLGENTISSIME, a Majoribus, Poloniarum
Regibus ac Magistratui Populoque Elbingensi charissimis
genitum esse, sed majus adhuc, illos eruditione aequiparare,
eorumque nemini meritis titulisque cedere. Capeffe hinc
felici faxit DEVS! fidere, VIR ILLVSTRIS, pur-
puream BVRGGRAVIATVS REGII Spartam,
TIBI primum collatam, & virtutibus TVIS omnium ju-
dicio dignissimam. Quod Regale Munus dum hoc in
anno, qui vere climactericus nobis posterisque notan-
dus est, TVIS imponitur humeris, optamus, ut pro-
bata TVA in consiliis capiendis prudentia, TVA in agendis
rebus dexteritas, TVAE denique in gerendo omni Civi-
tatis



tatis magistratu conspicuae virtutes, quibus summa TVA humanitas, ingensque TVVS in litteras & litteratos amor singulare addunt ornamentum, gratia divina adjutrice & fortuna comite praeditae semper inveniuntur. Numen igitur Altissimum, TE, PRAECONSVL GRAVISSIME, in tutelam suam plus quam paternam receptum, omni felicitatis ac prosperitatis augmento quam gratiosissime beet, & honoribus TVIS gentilicis honores, TVAEque menti vegetae corporis in posterum addat firmitatem, quo, tranquillitate & concordia Civitati reddita, Illustrum BVRGGRAVIATVS Provinciam ex voluntate REGIS SERENISSIMI ac utilitate & securitate omnium bene ac gloriose regas, hacque ratione certus posteritatis cum futura mansuraque semper vivas gloria.

Quibus si DEVS, qui coelum terramque insidet, annuat votis, erit quam diutissime, de quo Ordo Senatorius gloriatur, in Civitatem allekti gaudeant, & Musae sibi gratulentur Elbingenses, quibus, patrocínio ac favori TVO ulterius se commendaturis, dum thura non habent, has qualescunque, & ut ita dicam, umbraticas TIBI, MAECENAS, litare contingit schedas, pietatis tenerrimae ac submississimae devotionis testes.

